DISSERTATIO
Iuridico-Politica
De
PRÆSENTI ROMANO-GERMANICI IMPERII STATU MONARCHICO.

Quam

Deo trino uno adjuvante,

Conſenſu Ampliſs. JCtorum ordinis in alma Leucoreâ

SUB PRÆSIDIO

Excellentiſs: Clariſs: & Conſultiſs: Viri

Dn. CHRISTIANI Krembergk J. U. D.

Præceptoris, Promotoris æternùm honorandi, amandi

Examini Publico propino

HIERONYMUS HOFFLICHIUS, Sommerohuſano-Francus.

Die 3. Auguſti.

Coite ſaltem viri principes & trepidabunt vires veſtræ Exteri, quibus ob inteſtinas lites alas viteſcere ſapiſtis, tollite Thuſca illa jurgia, & videbitis neq; terrarum orbem, neq; cunctas gentes conglobatas movere, aut confundere Imperium hoc poſſe. Celſus Orat. ad Cæſar.

VVITTEBERGÆ

Typis IOHANNIS GORMANNI.

[illegible] M. DC. XXII.

Digitized by Google

In Nomine Domini & Dei noſtri Jeſu Chriſti l. 3. C. de LL.

C*UM turpe civi jus, in quo verſatur, ignorare dixerit JCtus, quanto magis turpius ſtatum Reipubl. unde Jus deducitur,* *teſte* Ariſtotele 3. & 6. Polit: *Ideoq; & nobis* [illegible] *Romani noſtri Imperij, ſub quo vivimus & imperamur, quantum temporis & Argumenti captus fert, proponere placuit. Deum interim Ter. Opt. Max. ſine cujus luce noſtra hæc in literarum ſtudiis peregrinatio miſerabilis quadam erratio eſt,* Scalig. Exerc. 359; *adoramus, invocamus, ut immenſo atq; ineffabili ſuo ſpiritu mentes noſtras compleat, quo grata ſibi, nobisq; fructifera dicere queamus.*

THESIS I.

IN frontiſpicio hujus diſputationis offert ſe nobis quæſtio illa nobilis: *An in duabus illis viſionibus, Coloſſi & 4. beſtiarum apud Danielem cap. 2. & 7. Romana & quarta Monarchia ſit adumbrata?* Hoc quamvis *Bodinus,*

vir aliàs perquam eruditus, quique in plerisque ſcriptis ſuis graviſſimo commentandi genere magnam meretur laudem, *in meth. ſuæ hiſtor. cap. 7. & lib. 2. de Rep. publ. cap. 2.* argumentis ſpecioſis & plauſibilibus negare tentârit, inveteratumque errorem contrariorum opinionem dixerit: Eius tamen ſententiam, ut Scripturæ S. repugnantem meritò rejicientes affirmativam tuemur; Licet enim hoc poſtremum Regnum diſertis verbis, ut reliqua tria (Aſſyriacum videlicet ſive Babylonicum, Perſicum & Græcum vel Macedonicum) non ita exprimatur, nihilominus tamen id deſcribitur figuris atque notis, quæ ipſo eventu comprobatæ ſunt, & etiamnum hodie comprobantur: Firmiſſima nota eſt ipſius Meſſiæ Adventus in carnem, quem Daniel *in d. cap.* 2. ſub Monarchiam iſtam quartam collocat: Jam verò Meſſiam noſtrum ſub Rom. Imp. tempore Octavij in carnem veniſſe dubitare Ethnicum & Judaicum eſt: Deinde depingit *Daniel. d. cap.* 2. quartam Monarchiam in cruribus & fœmoribus ferreis: Nam Monarchia illa inſtar ferri, robore & duritie reliqua metalla ſuperantis, ſuperiora regna fortitudine ac perpetuitate longe vincit, & ejusq; robur & majeſtas hactenus ſemper manſit: Diverſitatē autē pedum eorumque digitorum ipſemet Propheta interpretatur de diviſione Regni, quod alias plus, alias minus virium ſit habiturum, quod & ipſa ferri & luti materia evidenter teſtatur. Per eandem quoque luti & ferri mixturam oſtendit Propheta, fore, ut partim imbecille hoc regnum affinitatibus & fœderibus cum alijs Regibus ſe muniat, verum ſicut ferrum & lutum non arctè coaleſcunt, ita & conjunctionem iſtam minimè fore firmā & ſtabilem, ſed omnino

[illegible]

Digitized by Google

annon congruum Romano Imperio? Ferreum namque ab initio fuiſſe hoc Imperium non multa opus eſt demonſtratione, ex rerum hiſtorijs liquidò apparet; diſſolutum verò deinceps eſſe in digitos quis dubitat? Quid enim hodie magis eſt diſſolutum, quam Imperij illius ampliſſimi corpus: Ferrum tamen adhuc ineſſe huic regno ad amuſſim oſtendi poſſet exemplis, niſi in nimium excreſceret hæc diſſertatio: Adſpice modo celeberrimas iſtas Chriſtianorum victorias de Turcis, divini numinis auxilio partas, & videbis, ferrum luteæ huic Imperij faciei adhuc miſtum, viresque nonnunquam ſuas exercuiſſe; Conjunctionem quoque illam demonſtrare factu eſſet facile, niſi res odioſa, cui ſciendi cupido, hiſtorias ab annis ab hinc 200. perlegat. Idem Daniel *cap. 7.* Regnum hoc Romanum deſcripturus per beſtiam quartam: Terribilis, inquit, fuit, mirabilis, & fortis nimis, dentes ferreos habebat, magnos comedens atq; comminuens, & reliqua pedibus ſuis calcans. Quibus verbis certè potentia Romani Imperij, quã habuit, deſcribitur, ut ex Hiſtoricis & 10 illis cornibus, quæ fuerant membra hujus Imperij (Syria Ægyptus, Aſia, Græcia, Affrica, Hiſpania, Gallia, Italia, Germania, Britannia) probari poteſt, *Sleidanus lib. 3. de 4. Monarch.* parvulum autem illud cornu, quod [illegible] ſucceſſit, eſt Regnum illud Mahometicum, quod ex humili initio natum, tres præcipuè Rom. Imp. partes (Ægyptum, Aſiam, Græciam) occupavit, hujus os ſermones loquitur contra Deum, & bellum facit Sanctis *d. c. 7.* Et hæc eſt communis omnium ſaniorum Theologorum & Politicorum Opinio.

II.

Quæſtioni præcedenti ſubjungimus ſequentem;

Digitized by Google

An Imperium hoc noſtrum ſit Romanum & Quartum illud Regnum à Daniele deſcriptum? Aff. Fundamentum firmiſſimum ſumimus ex *d. cap. 2. & cap. 7. Daniel.* ubi dicit Propheta, Regnum hoc quartum duraturum uſq; ad adventum Chriſti noviſſimum, quod & *Tertullianus in lib. ad Scapul.* agnoſcens; Chriſtus, inquit, ſolum vult Totum Imperium Romanum; quousque ſeculum ſtabit, tam diu ſtabit. Iam verò ubi eſt Regnum illud Romanum, niſi apud Germanos, ad quos Carolus, ille M. (qui natione Germanus, & quidem è Francis Antiquiſſimis Germaniæ populis oriundus, nec Gallus, ut perperam ſcribit *Bodinus*, fuit) anno à nato Chriſto 800. transtulit. *Secundò* geſtat Imperator noſter adhuc inſignia Rom. Imper. jam verò Inſignium identitas oſtendit eius eſſe rem, qui inſignia illa habet, argum. *l. 1. C. ut nemo privat. tit. & argum. l. [illegible] & ibidem Iohan. de Plat. C. de fabricenſ.* *Tertiò* non ſolum Imperatores ipſi utuntur adhuc titulo Imp. Rom. Wir N. von Gottes Gnaden Erwölter Römiſcher Kayſer &c. ut ex mandatis eorum & Receſſibus Imperii conſtat, ſed quoque ab aliis tam Chriſtianorum quàm infidelium Regibus Romanus Imperator ſalutatur, ut de Imperatore Turcico teſtatur *Nicol. Reusner. l. 10. Epiſt. Turcic.* De hoc bene notanda ſunt verba *Lazari von Schwendi*, in ſeinem bedencken an Ihre Königliche Majeſtet / von Regierung des H. Römiſchen Reichs / und Freyſtellung der Religion. §. 12. *fol.* 122. Ubi ita ſcribit: Dennoch deſto weniger haben ſie die Hoheit des Kayſerthumbs (Monarchiam quartam) biß auff diſe Stunde an ſich behalten / und iſt die gewalt unnd Stärcke der Teutſchen Nation biſshero dennoch immer zu ſe [illegible] geſehen und beſürchtet geweſen / daß ſich kein frembder [illegible]

ken.

Digitized by Google

tion daran reiben dürffen / noch jhnen ſolche præeminentz entziehen mögen.

III.

Translatio tamen illa Romani Jmp. ad Germanos non Papæ, ut malè affirmat *Bellarminus*, eiusque aſſeclæ, eſt adſcribenda, ſed acquiſitionis ac victoriæ jure, partim S. P. Q. Rom. voluntate, electione & ſuffragio, imo pacto irrevocabili, quod Nicephorus Jmperator Orientalis, eiusque ſucceſſor Michael cum Carolo M. iniêre, ad Germanos Jmperium hoc translatum fuit. Sic Ludovicus Bavarus generali coloniæ promulgata conſtitutione mendacij, imo læſæ majeſtatis reos, qui Jmperium à Papa vel ei ſuppoſitum eſſe aſſeveraſſent, declaravit; *ut ex Abbate de Roſat. in l. benè à Zenone n. ... C. de quadrien. præſcript. refert Thom. Mich. in concluſ. Iurid. de Iuriſdict.*

IV.

Cum igitur Jmperium hoc noſtrum ſit quartum illud & ultimum regnum, Politici non parvam hic traxerunt contentionis ſerram: *Num Status Imperij noſtri Romano-Germanici ſit verus Monarchicus?* variè variorum hac de re ſunt opiniones: Sunt qui Rempubl. noſtram nihil differre putant à pura Ariſtocratia, niſi quod ob Jmperatoris præeminentiam principatus dici queat, & ideo Jmperatorem noſtrum non aliam perſonam, quam principis ſuſtinere dicunt: Inter quos Anteſignanus eſt *Bodinus*, Germani nominis, ut rectè dicitur, hoſtis, *lib. 2. de Republ. cap. 1. & 6. & in Method. Hiſt. cap. 4.* Sed quàm alienum à veritate illud ſit ex infra dicendis latè patebit: Sunt qui Jmperij noſtri ſtatum ex Ariſtocratia & Monarchia temperatum putant, *Arnold. Clapmar. lib. 3. de arcan. Rerumpubl. cap. 10.*

cap.20, Arniſ.5. Polit.8. Quod quamvis illis largiremur, quod & modo cum grano ſalis accipiatur, largimur, tamen ſciendum, etſi mixtiones gubernationum & adminiſtrationum reperiantur, tamen formæ novæ non oriantur, ſed nomen ab eo, quod prædominatur, dependeat. *Melch. Junius lib.1. de Republ. Gregor. Tholoſan. lib.5. de Republ.* Verum igitur Monarchicũ ſtatũ Imperij noſtri dicimus, cum Imperator pleraque ſumma majeſtatis jura, ut ſummus Monarcha ſibi reſervavit, de quibus infra latius.

V.

His ita præmiſſis Rom. noſtri Imp. ſtatum aggredimur: ubi conſideramus duo, 1. *Caput ipſum*, 2. *Membra.* Caput ipſum eſt ſummus ille Monarcha, five Cæſarea majeſtas; ita enim jurat Epiſcopus Moguntinus, Quando eligendus eſt Cæſar. Ich N. Erzbiſchoff zu Mäyntz / Schwere etc. Das Ich etc. Will erwehlen ein Weltlich Haupt / dem Chriſtlichen Volck. *A. B. [illegible]. 4.* Reichs Abſchiedt zu Regenſpurgk anno 1566. §. Wir als dan als Römiſcher Käyſer und Oberhaupt im H. Reich etc. In capite conſideramus, 1. *Electionem*, 2. *Coronationem*, 3. *Poteſtatem.*

VI.

Eligitur autem Cæſar Franckofurti ad Moenum à Septemviris, non alius niſi ex Germanica natione oriundus, & Chriſtianus, qui ſit idoneus, *Aur. Bull. tit.2. Buxdorf. in diſſert. ad Lamp. lib.2.9. ubi [illegible] [illegible] [illegible].* Requiſita idonei Cæſaris refert [illegible] [illegible] one capitulatio, uti vocant, cuius ſummam refert *Sleid. lib.1. p.24.* Ei propoſitus, ad cujus obſervantiam vi juramenti adſtringitur Cæſar, *Jus Saxon. [illegible]* ibi Alſ man den König [illegible] [illegible], quod per Repu-

impe-

Digitized by Google

Imperator intelligatur. Nam Rex & Imperator apud Feudiſtas unum ſunt. *Vulteius l. 1. de Feud. cap. 4. n. 6.)* wehlet/ So ſol er dem Reich Huldigung thun / vnnd Schweren/ das er die Warheit ſagen wolle / vnnd alles vnrecht krencken/ vnd das er des Reichs Gerechtigkeit beſchirmen wolle/ als beſte er könne vnd möge &c. Modum Electionis huc referre, chartæ penuria non patitur. Hunc videre licet in *Aur. Bull. dict. tit. 2. & Sleidan. lib. 8.*

VII.

Coronabatur verò ex more antiquo Novus Electus Imperator corona triplici: Aquisgrani ab Electore Colonienſi ferrea, *Aur. Bull. tit. 4.* Ubi & Trevercenſis unctionem peragebat: Mediolani ab Epiſcopo Mediolenſi argentea, Romæ denique à Pontifice Romano aurea.

VIII.

Sed cum coronationes nihil aliud ſint quam externæ ceremoniæ, quibus probetur, eos legitimè ſuccedere proque Regibus habendos eſſe, & ex ſola electione competat juriſdictio Cæſari *A. B. d. t. 2. §. ult.* Nam ſtatim peractâ electione Rex Romanus tum alij imperij negotia adminiſtrare, tum privilegia quoque concedere poteſt: Electionem illam papalem neceſſariam non eſſe dicimus, quod ex experientia ipſa videmus. Nam Rudolphus Habsburgenſis nunquam Romam vidit, nedum ibi coronatus fuit, cauſamque cur ad Pontificis Nicolai inſtantiam Romam ingredi nollet, ſcitè expreſsit Apologetico illo.

—— —— me veſtigia terrent,

Omnia te adverſum ſpectantia nulla retrorſum.

Sic Fridericus I. dictus Barbaroſſa Legatos cum Adriani Ponti-

ni Pontificis nomine Imperium ſibi obtrectent, [illegible] lis, cujus verba deſcribit *Guntherus hiſce verſiculis:*

Eccleſiam reget ille ſuam, divinaq; jura
Temperet, Imperium nobis faſcesq; relinquat.

Ita etiam Maximilianus I. Imperialem coronam à Pontifice accipere minime neceſſarium eſſe, coram Imperii ſtatibus publicè profeſſus eſt: Et quamvis à Ferdinando I. uſque ad jam Imperantem D. Ferdinandum III. nullus Imperatorum coronatione illa papali fuerit coronatus, non minus tamen plenum jus obtinuiſſe notorium eſt. *Buxtorf. in diſſ. ad A. B. th. 38. Calixt. [illegible] de Jur. Imp. Germ. lib. 6. Schonborn. lib. 5. Pol. 9. Joach. Cluthen. in Sylleg. Rer. quotid. th. 4.*

IX.

Electionem & coronationem ſequitur *poteſtas, quæ eſt vel reſervata vel communicata: Reſervata & incommunicabilis eſt*, quæ oſſibus Imperatoris ita inhæret, ut illam nullus à Sceptro vel corona Cæſarea divellere ullo modo queat. *Thom. Michael in Concluſ. de Juriſdict. concl. 7.*

X.

In Reſervatis illis primas tenet *SUPREMUM MAJESTATIS JUS*: Cæſar enim nulli mortalium ſubeſſe dicitur, ſed eſt totius mundi Dominus. *L. deprecatio, 9. ad L. Rhod. de jactu l. 3. circa fin. ubi: qui [illegible] ſub vexillis ſuisq; laboribus pro toto orbe terrarum die noctuq; laborant &c. C. de quadr. præſcript. Novell. [illegible] circa fin.* Non quidem quod omnes populos, omnesq; gentes ſub poteſtate habeat, ſed per ſynecdochen totius pro parte, quia videlicet in majorem terrarum partem juriſdictione utitur. *Tabor. [illegible] part. 1. cap. 1. num. 61. & ſeqq. Henning. Arniſ. de Jure Majeſt. [illegible]*

Cap.

Digitized by Google

ſtatis lib. 1. cap. 2. Eſt igitur Imperator orbis dominus non quoad dominium plenum & proprietatem rerum ſingularium, ſed quoad juriſdictionem & protectionem *Hotoman. illuſt. quæſt. 1. Cujac. 15. obſerv. 30.* Et hoc communi principum decreto anno 1338. tempore Benedicti 12. pronunciatum eſt, ſacrum videlicet Imperium Romanum Imperium eſſe ſummum, eiusque principem, & à nullo niſi à Deo recognoſci: Non igitur incuria legati Francorum id obtinuerunt Imperatores noſtri, ut frivolè ſcribir *Bodinus*

XI.

Et quamvis juriſdictio Cæſarea noſtris temporibus anguſtis incluſa ſit limitibus, cum multi Imperio Rom. ſeſe exemerunt, aquilæque plurimæ plumæ evulſæ ſint, *Munſt. ſæpius in libr. 2. & 5. Coſmograph.* & Imperium hodie nihil aliud ſit niſi tenuis magni corporis umbra, *Sleid. lib. 3. de 4. Monarch.* tamen, cum jus vindicationis Imperatores habeant (nam ſicuti in ſervum fugitivum, ſtigmaticum, ſub verbuſtum manus injectio ſempiterna eſt *Bart. in leg. ubi ſolut. matrim.* ita quoque in omne ævum divis Auguſtis ſuas ab incubatoribus vindicandi provincias jus erit. *Schonborn. 5 polit. cap. 7. Feli. cap. 10. cum non liceat. Ext. de præſcript.*) rem ipſam habere, & per conſequens domini eſſe finguntur. *l. tempeſtivo ſ. 52. de acq. rer. dom.* Jure igitur in electione juramento adſtringitur Cæſar, ſe velle eos, qui titulo non bono exemptionem à juriſdictione Rom. Imperij præ ſe ferunt, ad obedientiam reducere, ut ex capitulatione, quæ ei offertur, cuius ſummam refert *Sleid. lib. 6.* videre eſt. Hinc quoque in mandatis & literis, ut & receſſibus Imperij utitur titulo: vnd allezeit mehrer deß Reichs.

Verum enim vero cum injuſto bello nihil fœdius, *C.23.q.5. Ariſtotel.5. Ethicor. cap.7. Lipſius 5. Polit.* Juſtumne erit tales, qui tempore immemoriali in poſſeſſione libertatis extiterunt, & ex diuturna quiete contra imperium præſcripſerunt, temerarijs ſtimulare armis? Quibus reſpondemus, nullum bellorum inveniemus juſtius, quam quod pro rebus repetundis ſuſcipitur *cap.1. 2. C.20.23.q.2. l. quæ reſtituere de R. V. Gail. 1. P. P. c.4. n.40. Covarr. in c. peccatum. p.2 §.9. n.20. Lipſius 5. Pol. 4.* Nec intereſt an mox an ex intervallo. *Waſembergius in Par. ff. l. uti poſſidetis.* cùm rem bello ablatam bello repetere meræ ſacultatis, cui nulla præſcriptio nocet, malæ fidei namq; poſſeſſor nullo tempore, etiamſi aliquot annorum myriades poſſediſſet, præſcribit *cap. vigil. & cap. fin. ext. de præſcript. cap. poſſeſſor ext. de R. J.* Rerum quoque vi ablatarum nulla eſt uſucapio *§. 2. Inſt. de uſucapion. l.33. §.2. Eadem. l. fin. vi bonor. rapt.*

Sed an non ſucceſſores in bona fide videntur eſſe? minimè, vitia enim à majoribus contracta, perdurant, eosque autoris ſui culpa comitatur, *d. l. vitia C. de acquir. poſſeſſ. l. Si ego. 5. pacta de publican. Faebin. 3. ...* *& lib. 8. cap. 25.* Et quid injuſtius, quam præſcriptionem, quæ pro imperij ſalute inventa eſt, à imperij hoſtibus in perniciem imperij proſternere, *per Lamiſſiones ... definiunt, de captivis. Zamnet. de Rom. Imper. n.114.* Sic quoque in comitijs anno 1521. §. Und als wir Fortius deliberatum fuit, wie dem Reich zu Ehren die Kron zu hohlen/ und das jenige/ So dem Reich innigen ... lange zeit in frembden Händen geweſen/ wieder und zu obern und zum Reich zubringen/ quod repetitum anno 66. §. Nach obgeſetzten & 76. §. Wir haben auch ſonſt.

Digitized by Google

XIII.

Secunda eſt *POTESTAS CONDENDI, INTERPRETANDI ET ABROGANDI LEGES.* Solius enim Imperatoris autoritate conduntur & ab ejuſdem arbitrio interpretationem recipiant *leges tato tit. de veter. Iur. enucl. l. fin. C. de LL. l. ſi quando. C. de inoff. Teſt. l. & ideo. de LL. l. 1. C. eodem.* & ſummum ſummi Imperij eſt leges dare & non accipere. *Curt. lib. 5.* quam poteſtatem & noſtro Imperatori haud iniquê adſcribimus; ut non obſtet, uti *ex theſi 18.* videre eſt, quod ex conſenſu ſtatuum Imperij legem condere Imperator dicatur ex illa clauſula, quæ addi ſolet Receſſibus Imperij: So haben wir uns demnach mit den Ständen des Reichs und ſie hinwiederumb mit uns verglichen.

XIV.

Diximus in theſi præcedenti ex *Curtio lib. 8.* Summum ſummi Imperij eſſe leges dare & non accipere, cui conſentit Ulpianus *in lege princeps 31. D. de LL.* Ubi Princeps, ait, legibus ſolutus eſt. Imperator *Nov. 105. cap. 2. in fin.* ubi Deum ipſas leges Principi ſubjeciſſe affirmat. Hinc etiam *Plinius in Panegyr. c. 65.* leges Principi nemo ſcribit. Quibus non parvi nominis viri invictiſſimo noſtro Cæſari majeſtatem ſummam derogare non erubuerunt, cum illum legibus minimè ſolutum, ſed falſò, æſtimarint. Nam Imperatorem noſtrum iiſdem legibus, quibus Juſtinianus & reliqui Imperatores ſoluti fuere ſolutum adhuc eſſe meridiana luce clarior erit, ſi bene perpenderimus controverſiam illam non uno modo inter JCtos agitatam: de quibusnam legibus verba illa tum Ulpiani & Imperatoris, tum Curtij & Plinij ſint intelligenda.

Digitized by Google

XV.

Quamvis varia variorum & quidem doctiſſimorum virorum hac de re ſit opinio, tamen non poſſumus non approbare & ſequi Valtejum *ad § 7. Inſtit. de J.N.G.& C.* diſtinguentem, inter legem & conventionem: cum alia ratio ſit legis, alia conventionis. Legem quod attinet, quædam eſt divina, ut ſunt præcepta decalogi: ab his neque ſubditos, neque *Principem* unquam ſolutos fuiſſe non eſt quod dubitemus. Huic etiam annumeramus legem, quam naturæ dictat, quam non accepimus; ſed ex ipſa natura arripuimus, hauſimus, expreſſimus, ad quam non docti, ſed facti, non inſtituti, ſed imbuti ſumus, *Cicero pro Milon.* Huic legi neque ſubrogari fas eſt, neque tota abrogari poteſt, nec per ſenatum, nec per populum hac lege ſolvi poſſumus. *Obrecht. de Regal. tit.12. n.161. & ſeqq.* Hinc ait Baldus *in l.* [illegible] Principem eſſe ſub lege poli, naturæ & rationis. Eſt præterea lex quædam humana, quæ ſi ad ſtatum *Imperii* ipſum pertinet, nec hac lege Principem unquam ſolutum fuiſſe oſtendi poteſt. Ejuſmodi enim leges, cum majeſtate conjunctæ ſunt, quibus abolitis ipſe Reipubl. ſtatus neceſſario evertitur. *Machiavel. vel potius AntiMachiavel. lib. de Regn. adminiſtr. theor. 1. Bodinus lib. 1 de Republ. cap. 8 & lib. 4. cap. 4. Obrecht. dict. tit. num. 55.* Præter has reliquis legibus civilibus Imperatorem ſolutum fuiſſe tralatitium eſt. Quod ad conventionem attinet & contractum, ſive ab ipſo, ſive ab anteceſſore celebratus ſit, hunc omnimode ſuppleri ſemper exiſtimabatur, mutuam namque obligationem habent, *Obrecht. d.t.12. n.170.* Et hoc eſt, quod dicitur, Principem per ſe, & in dictis legibus ſolutum eſſe, ex conſequenti ve-

ro &

Digitized by Google

rea & in hypotheſi ob factum aliquod antecedens legibus ſolutum non eſſe. Quibus ita conſideratis inficias ire nemo poterit, quin iiſdem legibus Imperator noſter ita ſolutus ac unquam Juſtinianus & reliqui Imperatores fuere.

XVI.

Tertia poteſtas eſt *JUS BELLI INDICENDI l. 3. §. Eadem ad L. Jul. Majeſtatis l. neminem, de Re militi. l. hoſtes, de captiv. & poſtlim. reverſ. Ordin. Camer. part. 2. tit. 15.* Auß der Käyſerlichen Majeſtät unnd unſerm gnädigen Reichs Abſchiedt zu Augspurgk de anno 55. §. Wo ſich aber & ſeqq. adeo ut in quocunque ſuperiorem recognoſcente cauſa belli injuſta ſemper præſumatur. *Alberic. Gentil. 1. de Jure Belli cap. 3. Gail. de pace publ. cap. 2. n. 4. Joach. Cluthen. d. loc. th. 21. Arnold. Engelbrecht diſſ. de Jurisdict. theſ. 66. Ant. Coller. ſelect. de Jur. Imp. Rom. Sect. 28.*

XVII.

Quarta poteſtas, *JUS NERVOS IMPERII (ut vocat Ulpian. in l. 1. §. 20. de quæſt.) CONSTITUENDI:* Ut ſunt Collectas generales, quæ pro neceſſitate publica exſolvuntur imperio, & Imperatori Germ. Reichsſteuer: de quibus *Gail. 2. obſ. 53.* Vectigalia nova erigere, quod ſolius principis eſt, *l. 3. C. vectig. nov. inſtitui non poſſ. l. unica. 63. ad L. Jul. ambit. l. vectigalia 10. de publ. & vectig.* & mandata pœnalia etiam ſine clauſula adverſus eos, quamvis Electores ſint, qui vectigalia nova inſtituunt, obtineri poſſunt, ut multis Cameræ præjudiciis oſtendit & demonſtrat *Joach. Cluthen. d. loc. Ant. Coller. d. loco ſect. 27.*

XVIII.

Et quamvis à Carolo IV. & tempore aureæ bullæ

latæ

Digitized by Google

factæ ad comitia & ſtatuum deliberationes, quæ de bello, vectigalibus, legibus ferendis, & inſtituendis, diximus, rejiciantur; tamen non rectè in majeſtatem Imperatoris inde inſurgit *Bodinus*. Illa enim ſuperioritas hoc temperamento non eſt ſublata, nec ſalvo imperio tolli poteſt, Electores in partem ſollicitudinis, non Imperij conſortium aſſumpti ſunt, ut univerſi non ſinguli Imperatori ne quid Reip. deeſſet, conſilio & re, adſtarent: In maximis negotijs maximorum opus eſt conſilijs, qui & facultatem habent cæteris & voluntatem interius, ut Reipubl. tum bene cupiunt, conſulere & velint & poſſint, ait Henricus IV. Imperator ad Electorem Colonienſem, *ut refert* [illegible] *com. univ. rerum Germ. fol. 195.* Quid quod inde usque à prima origine urbis Romæ Romulus (*argumento L. 2. §. 2. de Orig. Jur.*) cæterique Reges Romani comitia habuerint, in quibus de ſummis Reipubl. negotijs cum S.P.Q.R. conſultarunt. *Anton. Goller. d. loc.* [illegible] Humanum namque ſenſerunt Imperatores, ut nulla Lex generalis recitaretur, priusquam cum proceribus Palatij, tum univerſo Patrum Conſcriptorum conſeſſu probaretur, ut habet pulcherrima lex *8. C. de LL.* quam Impp. Theodoſius & Valentius, quorum tempore monarchiam Romanam orbem in Triumpho tuliſſe notorium eſt, ſanxerunt: Imo nec Jovi ſuum conſilium ſatis eſſe ſine Nemeſi ſive Themide voluerunt ſoli cives, *Seneca natur. quæſt. fol. 702.* Accedit, quod & principes inferiores & ſtatus Imperij in ſuis territorijs & provincijs leges & ſimilia jubeant, cum conſilio primariorum. Es wird der gemeine Ausſchuß von dem Lande / das ſeind die von der Ritterſchafft / und die von vornehmen Stedten darzu beſchrieben / quod [illegible]

unt

niter receptum, teſte *Gluthen. d. loc. th. 21.* Et tamen leges latæ Principi ſoli adſcribuntur. Hinc quoq; *Commun. lib. 1 Hiſt. cap. 18.* Et quis, inquit, in orbe terrarum Rex aut princeps eſt, cuius jus ſit tributum unius teruncii ſubditis ſine ipſorum conſenſu & voluntate imponere, niſi violentia & tyrannide uti velit.

XIX.

Ad hanc poteſtatem pertinet, Jus omnes magiſtratus conſtituendi, Duces, Principes, Archiepiſcopos creandi, inveſtiendi, iiſdem Regalia conferendi, jus civitatis & publicos mercatus tribuendi, Poſtas ſive curſus publicos inſtituendi, veniam ætatis concedendi, famæ reſtituendi, Academias erigendi, de quibus omnibus ſigillatim tractare, locus non fert, qui volet, videat *Sixtinum, Obrechtum, Roſenthal, Buccrum, aliosq.* de Regalibus. *Schonborn. lib. 6. cap. 14. 15. 10 & 18.*

XX.

Hoc ſaltem notandum, quod multis florentiſſimis Germaniæ Academiis injuriam faciant, qui pro veris Academiis, eas non habendas eſſe autumant, quæ Pontificis confirmatione munitæ non ſint, quia Pontifex ſupremam (ſi diis placet) cum Imperatore poteſtatem habeat: Sed jus Academias erigendi Imperatoris, imo ſolius Imperatoris eſſe, omnes ſaniores ſtatuunt Politici, quid quod ipſi Pontificii fateantur, Imperatorem creare poſſe Doctores, etiam in Jure Canonico, *Bartol. & alii in l. cunctos populos, C. de ſumma Trinitate.* Quod Doctores in Academiis ab Imperatore duntaxat confirmatis promoti, cum in Camera Imperiali, tum aliis Rebuspubl. ad honores & officia admittantur, notorium eſt.

 XXI. Ha-

XXI.

Hactenus de poteſtate ſoli Cæſareæ Majeſtati reſervata. Jam ut de *Communicatis* aliquid adjiciamus, ordo poſtulat. Et non impropriè inferiora ſeu potius ſtatuum Imperij Jura dici poterunt; quorum quædam enumerare, non plene deſcribere, vel de iis diſſerere nunc temporis mihi licet, cum unumquodque horum peculiarem mereatur diſputationem; Communicatum 1. eſt *JUS TERRITORII*. Die Landsfürſtliche Hoheit vnd Obrigkeit. Poſſunt namq; Principes idem in ſuis territorijs, quod Imperator in univerſo Imperio, quod tamen ſecundum quid & non abſolutè intelligendum. 2. *JUS REMITTENDI POENAS CAPITALES* Reichsabſchiedt de anno 29. §. vnd wiewol. 3. *JUS PRÆSTANDI SALVUM CONDUCTUM* ſeu *SALVAM GVARDIAM*, de qua *Schonborn. lib. 4. Polit. cap. 25.* 4. *JUS JUDÆOS RECIPIENDI* Policey Ordnung zu Augſpurgk Anno 48. tit. von Jüden vnnd Wuchern. 5. *JUS INDICIARUM MORATORIARUM*. Quinquell, oder Anſtandtsbrieff auff gewiſſe zeit zubezahlen. Reformatio guter Policey Ordnung Anno 48. von verdorbenen Kauffleuten §. vnd nach dem. 6. *JUS MUTANDI RELIGIONEM*, Reichs Abſchiedt de anno 1555. §. Vnd damit ſolcher friedt. 7. *JUS FORESTI*. Die Wildtbahn *Gail. 2. obſerv. 63.* 8. *JUS MONETÆ CUDENDÆ*: modo certi ac debiti ponderis (excepto neceſſitatis caſu) cudatur, nec aliis lucrandi cauſa locetur, Reichs Abſchiedt de Anno 70. De hac monetæ materia plura quidem hoc loco diceremus, niſi crambem bis coctam apponeremus, hoc pe-

cum

dem diſputata ſub *incudem revocaremus.* *Plura In-feriora ſuta,* qui vult, inveniet apud allegatos autores in theſi *antecedenti* 19. *& apud Coler. in ſæpe allegato loco.*

XXII.

Juriſdictionem quoque quandam communicavit Imperator Romanus, cum *CAMERA JMPERIALI,* quæ eſt ſummum Imperij Tribunal, quo apud Imperij Judices, ſive Aſſeſſores, legitima rei controverſiæ inter litigantes tractatio inſtituitur; Ordinariam Juriſdictionem obtinet & Jus dicendi facultatem habet Vice Cæſareæ Majeſtatis, *Ordin. Camer. part. 2. tit.* 17. De omnibus cauſis, exceptis de feudo Imperij, Fahnlehn/ quod ſolus Imperator ſibi reſervavit, *Ordin. Cameræ part. 2. tit. 7. Gail. 1. obſ. n. 11.* de ſpiritualibus, matrimonialibus. *Ordinat. dict. part. 2. tit. 1.* Si nempe de Jure quæſtio eſt, aliud ſi in poſſeſſore agatur videlicet, an matrimonium ſit contractum? *Menoch. conſ. 366. num. 11. 12. &c.* De criminalibus, conſuetudine namque generali Germaniæ appellationes hoc in caſu non admittuntur, *dict. part. 2. tit. 28.* Hæc Iuriſdictio an cumulativè an privative Cameræ tributa ſit pulchrè *diſputat, Caſparus Leipold in quæſt. de Concur. Juriſdict. quæſt. 6. Arnold. Engelbrecht. in diſquiſ. de Jurisd. Imp. th. 109.* Cujus Judicij autor fuit Maximillianus I. Anno 1495. in Comit. Wormat.

XXIII.

Ordinariam quoque & communicatam quandam Juriſdictionem habet *Judicium Rotvveilenſe,* das Käyſerliche Hoffgericht zu Rotweil/ à Conrado Sueviæ Duce Jmp. Anno 1147. conſtitutum, non quidem uni-

verſalem, veluti Camera Spirenſis, ſed in certo & determinato diſtrictu per Fräcicum, Auſtriacum, Suevicum & Rhenanum circulos. *Ordin. Ret. [illegible] part. 2.* Latius de hoc judicio vide *Leopolt. d. loc. 3. & Schonborn. lib. 6. pol. cap. 23.*

XXIV.

Et hactenus de Capite Imperij, quod eſt Imp. Majeſtas. Sequuntur jam ejuſdem *membra*, quæ ſunt tria. 1. *Electores*. 2. *Principes*. 3. *Liberæ Civitates*.

XXV.

Proximum à Cæſarea Majeſtate locum obtinent Romano-Germanici Imperij Electores, nec immeritò, ſunt enim Imperij Principales Columnæ, parietes Imperiales, & ſeptem candelabra, ut vocantur in *A. B. tit. 2, 3. & 12.* Qui Plurimorum neceſſitatibus relevandis Cæſareæ Majeſtati ſic aſſiſtunt, ut in partem ſollicitudinis conſtituti reperiantur, ut ait Carolus IV. in *A. B.*

XXVI.

Et ſunt tres Antiſtites ſive Archiepiſcopi, Moguntinus, Colonienſis, Trevirenſis: Et quatuor principes ſeculares Germaniæ, Palatinus, Sereniſſimus noſter Elector Saxonicus, *B*randenburgicus, & Rex Bohemiæ, Septē ideo numero, ut hoc ipſo Electio ſummi Imperatoris bene conſtaret. *Knich. in commentar. Juris Saxon. cap. 3. verb. Electorum*, Nam quando magnæ res per [illegible] hoc numero abſolvuntur, ut notat *[illegible] ad [illegible] v. 1. 2. 3.* Eccleſiaſtici verò & politici ideo conſtituti, ut & viri doctiſſimi & duces bellicoſiſſimi Imperio adeſſent, Imperiū namq; non ſolū armis ſed & legibus armatū eſſe oportet, *argumento proœm. Inſt. in princip.*

27 Verum

Digitized by Google

XXVII.

Verum enimverò, antequam de poteſtate. E.E. dicamus, adjiciendum prius aliquid de origine Ordinis hujus ſeptemviralis cenſemus : Ubi ingens Scriptorum eſt conflictus; Magno conſenſu tam Germani, quam Italici Otthoni III. adſcribunt : Inter quos latiſſimè *Bellarminus lib. 3. de Translat. Imp. Schiffer. in diſquiſ. de Orig. & poteſt. Elect. Joach. Gluten. in ſæpe alleg. Spieg. rer. ... lib. 24. Vide, quos magno numero refert. Buxtorff. in diſſert. ad A.B. theſ. 14. lit. A. & Arniſæ lib. 2. de Rep. cap. 6.* Alij Friderico II. attribuunt. *Bodin. lib. 8. de Rep. cap. 5. Carol. Molin. in præfat. Conſil. Pariſ. n. 70.* & quamplurimi alii, quos vide apud *Buxtorff. & Arniſæ. d. loc.* Sed hos pluribus refutavit *Bellarminus d. loc.*

XXVIII.

Verius nobis videtur ſi Electores ſenſim & conſuetudine cœpiſſe dixerimus: Nam quod ad Ottonem attinet, ſciendum, Imperatores, qui poſt Ottonem III. rebus præfuerunt ab univerſis Imperii Principibus, Eccleſiaſticis & politicis, electos fuiſſe, quod late probat *Arniſæus d. loc.* ex electione Friderici I. & Philippi, Otthonis IV. & Electione Heinrici V. *Accedit*, quod Carolus M. nullius ſanctionis, ſed tantum uſus longævi & laudabilis conſuetudinis mentionem fecerit, *Buxtorff. Colær. d. loc. Schonborn. lib. 6. Pol. cap. 31.*

XXIX.

Jam ad *E.E. poteſtatem*, quam habent *duplicem*, §. 10 Electione Cæſaris, ubi ſimul dignitas eorum brevi cõſideranda, venit: Jus autem eligendi Cæſarem Electoribus cõpetere dubiũ ne minimũ eſt, nõ vero ſingulis ſed omnibus, *A.B. tit. 7.* Nec obſtat, quod cautũ legamq; in lu-

in lu-

in Jure Saxonico, der Schenck der Reichs (Rex Bohemiæ) hat keine Wahl/ darumb das er nicht Teutſch iſt. hodie tali ceſſante legis ratione, ceſſat ipſa diſpoſitio.

XXX.

Electionem novi Cæſaris auſpicando prior ſententia ſtat à partibus A.E. Moguntini, illuſtrisq; Collegij Archipræſulis, qui cæteros E.E. ad Electionem futuri Cæſaris literis ſuis patentibus ad oppidum Franckfurt am Mayn convocat, & facto ampliſſimo conventu in Baſilica S. Bartholomæi, præmiſſis Sacris, vota ſingulorum inquirit & ſcrutatur, *A.B. cap. 4. & 18.*

XXXI.

Rogante Moguntino primum ſuffragium habet AE. Trevirenſis, quod ante A.B. Moguntinum habuiſſe apparet ex *ſpeculo Saxonico lib. 3. art. 57.* Der Biſchoff von Mäyntz hat die Erſte Stim an der Wahl/ der Biſchoff von Trier die Ander / der Biſchoff von Cöln die dritte/ cui conſentire videtur *Gunther in Ligurinis:*

> —— *Ad proceres Electio pertinet in qua*
> *Præcipuam vocem Præſul de jure vetuſto*
> *Moguntinus habet* ——

Secundum ſuffragium tribuitur *AE.* Colonienſi, cui & dignitas diadema Regium imponendi. Tertium Regi Bohemiæ. Quartum Comiti Palatino. Quintum Seren. noſtro Electori Saxonico. Sextum Brandenburgico. Et hoc ordine votis omnium perceptis, Moguntinus à principibus viceverſa interrogatus Se-

ptimum

primum ſuffragium profert. *A.B. cap. 4. §. Primo quidem.* Quamvis tamen *Goldaſt. in Replic. pro Imper. cap. 13. pag. 178.* De conſuetudine moderna Moguntinum primum ſuffragium habere aſſerat, ut & in Electione Caroli V. Moguntinum primum tuliſſe apud Sleidanum *l. 1. legimus.*

XXXII.

Electo communi ſuffragio Imperatore, altera poteſtas eſt Illuſtriſſimi huius Collegii, cum ex formula præſcripta, quam Capitulationem ſupra diximus, univerſo Imperio obligare, ad cuius obſervantiam vi juramenti Cæſar adſtringitur, *Heigius part. 1. quæſt. 4. Schonborn lib. 3. art. 546.* Als man den König wehlt, ſoll er dem Reich Huldigung thun und Schweren.

XXXIII.

Quam Capitulationem ſi non obſervarit Cæſar, æque poteſtatem eum deponendi aliumque ſubſtituendi habere dicimus, cùm eius ſit deponere, cuius eligere *L. 3. de Re Judic.* Et qui jus habet conferendi, habeat etiam deponendi *Panormitan. de Cler. cap. 4.* Exemplum habemus in Imp. Adolpho de Naſſaw, & optimi patris Caroli IV. filio degenere Wenceslao, *Bodin. lib. 1. de Republ. Mich. Schieff. diſſert. de Orig. & Poteſt. E. E. th. 31. Schonborn. l. 3. c. 13.*

XXXIV.

Extra Electionem EE. munia quædam peculiaria impoſita videmus, ſicuti tribus Eccleſiaſticis Cancellariatus, Moguntinus enim Cancellarius dicitur Germaniæ, Colonienſis Italiæ, Trevirenſis Galliæ, & Arelati. Verum enimverò cum hodie parum Impera-

tori

torij juris in Gallia & Jtalia deprehendamus: horum poſteriorum dignitate diminuta, nihil ferè niſi nuda nomina reſtare videntur. *Joach. Glaub. d. lit. th. 24.*

XXXV.

Inter ſeculares verò Principes Rex Bohemiæ coronam, Elector Palatinus Pomum imperiale, Saxonicus gladium, Brandenburgicus Sceptrum, Jmperatori Electo præfert. Præterea curias ſolennes celebrante Jmperatore, Rex Bohemiæ pincernæ, Elector Palatinus Dapiferi, Saxonicus Archimareſchalli, Brandenburgicus Archicamerarij officium ſubeunt, qui etiam aquam ad manus lavandas Jmperatori præbet; Horum omnium officia aliquomodo deſcribit Poeta quidam his verſiculis:

Moguntinus, Trevirenſis, Colonienſis,
Quilibet Jmperij ſit Cancellarius horum,
Eſt Palatinus Dapifer dux portitor enſis,
Marchio præpoſitus cameræ, pincerna Bohemus,
Hi ſtatuunt dominum cunctis per ſecula ſummum.

XXXVI.

Cum autem cuilibet horum Principum ſui ſint vicarij & ſubofficiarij, ut Sereniſſimo Palatino Barones de Walpurg, Saxonico Barones de Pappenheim, Brandenburgico Comites de Hohenzollern, Regi Bohemiæ ſemper Liberi Barones de Limpurg, Domini mei clementiſſimi. Mota eſt controverſia, *ſi aliquem horum Principum abſentem eſſe contingeret, quisnam hoc officium adminiſtret? Legatus an verò vicarius?* Ut quia etiam in coronatione Caroli V. pugnaretur, pro vicariis de-

ciſum.

eiſum fuit, ut refert *Buxtorffius in diſſer. ad A. B. th. 51. ex Herm. de Coron. Caroli V.* & ita haud pridem in abſentia Brandenburgici à comite de Hohenzollern factum fuiſſe notum eſt.

XXXVII.

Inſignem quoque poteſtatem Illuſtriſs. huius Collegij reperimus in Comitijs. Quamvis enim ſolius Imperatoris ſit Imperij ſtatus convocare, leges figere refigere, facit tamen illud accedente Electorum ſuffragio, ſecundum leges in Electione Cæſari præfiguratas, Reichsabſchiedt zu Speyer de anno 507. Haben wir ein gemein Reichsverſamlung nach vorgehabten Raht vnd Gutachten vnſer vnd des H. Reichs Churfürſten etc.

XXXVIII.

Poteſtatem quoque Illuſtriſs. E.E. peculiariter conceſſum habent, ut ipſimet absque ſpecialis veniæ Impetratione conventus pro ſalute & commodo Reipubl. in Germania edicere poſſint; *A.B. tit.* 12. Id quod reliquis Principibus interdictum, ut elucescit *ex conventu Norimbergæ anno* 1524. ubi Carolus V. accuſavit principes Germaniæ, quod ſine autoritate Imperatoris novum conventum indixiſſent, *Sleidanus lib.* 4.

XXXIX.

Præter Eligendi imperatoris Romani eximium quoque jus eſt Electoribus Palatino & Saxoni, quibus vacante imperio Romano incumbit, ut vires Imperatoris Romani in omnibus (feudis Principum Fahnlehn exceptis) per omnia ſuſtineant, Palatinus quidem in partibus Rheni, Sueviæ, & Jure Franconico utentibus: Saxo vero in illis locis, ubi Jure Saxonica

obſervantur, *A.B. tit. 4. Buxtorff. in diſſert. ad eandem th. 55. Schiffer. de Orig. & poteſt. E. E. 54. & ſ. 59. Joach. Cluthen. Syllog. rer. quot. th. 24. lit. E. Schonborn d. l. cap. 14.* Diſſentiunt Pontificij, qui ad Pontificem Roman. [illegible] cariatum hunc pertinere ambitioſe contendunt *capit. ſi fratrum ne ſed vacin ex [illegible] in Clement. 1. de Jur. Jurau. cap. ad Apoſtolicæ, de ſent. & re judic. quod Bellarminus* eiusque aſſeclæ, quos longa ſerie recenſet *Buxtorff. d. diſſert. th. 56.* hoc defendunt.

XL.

Eſt & alia inſignis E. Palatini poteſtas, quod ipſe-met Imperator coram eo conventus ſtare & reſpondere cogatur, *A.B. tit. 5.* Et ſanè olim hæc cognitio ad Rheni fluminis ripam hodie verò non alibi, quam in curia Jmperiali vel alio quocunque loco, ubi Jmperator præſens eſt, fieri ſolet. *A.B. d. t. 5. Buxtorff. & Joach. Cluth. d. loco.* Errant igitur iterum Pontificij, qui Jmperatorem coram *Pontifice* Romano conveniendum aſſerere haud erubeſcunt, *Capit. Apoſtolicæ de re judic.*

XLI.

Pertinent & huc reliqua privilegia E. E. inter quæ primum obtinet locum privilegium de non appellando, ſed his, cum bonum omnium pagina hæc non ſit capax, omiſſis ad membrum Imperij ſecundum nos convertimus.

XLII.

Quod conſtituunt, *Principes reliqui,* tam Eccleſiaſtici, (quos hic conſideramus ut principes Politicos, qui hoc in caſu nihil commune habent cum Pontifice, poſſident enim feuda Regalia, ut reliqui princi-

pes

pei & proceres, & eadem jura ſuperioritatis habent, ut ſeculares reliqui in ſuis territorijs, *Gail. in tractat. de pignor. num. 1. & 1. Obſerv. 20. n. 2.* quàm ſeculares; Inter quos primas tenent Sereniſſimi Archiduces, & proximam à dextrà Electorum ſeſſionem habent, & partim Electoribus pares ſunt, partim ſuperant, prærogativâ, videlicet peculiarium Regalium, qualia ſunt nova vectigalia propria autoritate inſtituere, Comites & Barones creare, iisque inſignia dare, famam reſtituere, & plura. de quibus vide, *Munſter. in Coſmograph. lib. 3. cap. 399. fol. 954. & ſeqq.*

XLIII.

Hos Reliqui *Duces, Hertzoge,* Sequuntur in valeſcentibus feudalib. clientelis, ſi princeps Romanus pro beneficio territoria alicui concederet, ducatuum nomine veniebant, & qui de illis inveſtirentur Duces appellabantur, *cap. unic. quis dicatur dux.* Horum poteſtas tempore Caroli M. tanta fuit ut propriè duces vocarentur quibus duodecim comites ſuberant. *Hotom. in Lexic. Feud. verb. Duces.* à quo tamen ut notat *Reigner part. 1. quæſt. 2. n. 38.* Sequens ætas receſſit, ut nō ſit neceſſe, ut duodecim comites ſubſint Duci, cujus communis teſtis eſt Experientia: Dictus autem eſt Dux à ducendo, hoc eſt, regendo gubernando, non duntaxat populum ſed vel maximè Exercitum, Nam in gerendis bellis ex his, qui de Ducatu inveſtiti erant, accipiebantur, qui Exercitui præeſſent, eumque regerent, quod innuere videtur Germanica vox Hertzog/ quaſi ein Herr des Zuges/ ſive ut alij volunt à vocabulo Heer/ quod eſt Exercitus & ziehen/ quod eſt ducere, *Vultej. feudor. cap. 5. n. 41.*

XLIV.

Hos ſequuntur *Principes* ſpeciatim ſic dicti, quibus olim ſoli Jmperatori Principis nomen competere *l. princeps, de LL. l. 1. de conſtit. princ. §. ſed & Juſt. de J. N. G. & C.* in libris verò feudorum eò deventum fuerit, ut duces Marchiones, & ſimilem maioremvè Regalem dignitatem habentes, generaliter Principes vocarentur, *Cap. 1. in princ. de prohib. feud. alien. ut & paſſim in A. B.* legitur. Sunt tamen hodie, qui nec Ducis Marchionisve aut alterius ſpecialis dignitatis Regalis nomen habent, ſed tantum Principes appellantur, ut ſunt principes Anhaltini, die Fürſten von Anhalt: Sicut multi quoque principatus, Fürſtenthumbe/ extra pariter ducatus, aliorumvè dignitatum Regalium titulos, utuntur, teſtis eſt communis Experientia: In nonnullis locis Pricipes hi tanti æſtimantur ut etiam Ducibus præferantur.

XLV.

A principibus proximi ſunt *Marchiones*, Marggraffen; & ſunt qui de Marchia inveſtiuntur: Marchiam autem à Marca, quæ fines ſeu limites ſignificat, cum Vultejo 1. *Feud. c. 4. n. 14.* dictam putamus, eo quod Marchiones finibus Rom. Jmp. tuendis præfecti eſſent, *Baro lib. 2. feud. c. 8.* cui conſentit Lingua noſtra vernacula Marggraffe/ à Margk/ quod fines ſignificat, dicta. eiusmodi Marchiæ ſunt Brandenburgenſis, Styriæ, Moraviæ, Badenſis: Et quamvis in noſtra ætate limitum defenſores non omnes ſint Marchiones, nomen tamen familijs eorum ex conſuetudine, ut ait *Lag. de Rep. Rom. l. 11.* remanſit: multiplices multorum *Scri-*

[illegible]

Digitized by Google

tiones vide apud *Schonborn. lib. 5. pol. cap. 39.* ubi in alia à nobis opinione eſſe videtur.

XLVI.

In ordine ſequuntur, cùm *Landtgraffij* Landtgraffen ſeu Comites provinciales, qui Judices ſunt totius alicujus provinciæ, *Vult. d. l. & n.* quorum in Imperio quatuor Thuringiæ, Haſſiæ, Alſatiæ, Leuchtenbergenſis: tum cum *Burggraffij*, Burggraffen/ qui ſunt præfecti certi alicuius præſidij, in terris plerumq; quæ donatione Imper. Eccleſijs acceſſerant. *Peucer. 5. Chron. p.* 1004. Eò ſic dicti, quod arcis alienæ cuſtodiam haberent, ut ſunt Norimbergenſis Magdeburgenſis, Gelhuſanus, Fridburgenſis, *Peucer d. l.*

XLVII.

Landgraffios excipiunt *Comites*, Graffen cujus vocabuli varias ſignificationes brevitatis cauſà omittentes, cupidum lectorē ad *Schonborn. d. l. 5. c. 40. Vult. d. c. 4.* remittimus, hoc ſaltem notantes, Comites nobis dici, quibus dignitas comitatus in Imp. Rom-Germ. codicillis Cæſaris aut alio licito modo acquiſita eſt. *Toloſan. in Synt. Jur. l. 6. c. 8.* qui in ſuis territorijs dicuntur Principes, *Sichard. conſ. 8. n. 15. part. 4. fol. 169.* quibus reſpectu ſui comitatus æquiparantur. *Socin. Jun. in conſil. 126. n. 1. col. 3.* Ex his quidam principali dignitate & gradu utuntur, & decorati, Gefürſte Graffen vocantur, quales olim fuêre Henneberg enſes, hodie Tyrolenſis, Habſpurgenſis, Mompelgardicus, Arnbergenſis, Mansfeldenſis, Gorzenſis, de quo Reichs Abſchiedt zu Regenſpurgk anno 1576. §. Nach dem auff jetzt werenden / & hi verbo Fürſtmeſſige in actis Imperij comprehenduntur, Cammergerichts Ordnung zu Wormbs anno 1495.

Digitized by Google

tis. Wie Churfürſten / Fürſten vnd Fürſtmeſſige [illegible] der zu Recht fordern ſollen / vnnd Reichsabſchiedt zu Speyer anno 1548. & 70. §. Auß beſondern [illegible] vrſachen. Reliqui ſuo ordine conſiſtunt; Hoc [illegible] addendum, comites, qui ſunt ſtatus Imperij ad comitia quidem vocari, ita tamen, ut ſaltem duo compareant. Totus enim ille ordo Comitum in Imperij Comitijs duo tantum ſuffragia habet, unum Schwäbiſche, alterum die Wetterawiſche Graffſchafft.

XLVIII.

Me[illegible]ro demum huic ſecundo annumeramus *Baronum* qui eâdem nobilitatis Reguli dignitate [illegible] Comitibus utuntur: Niſi quod de ducatu non ſint [illegible]: quod vetuſtiſſimo Germanorum procerum uſu receptum teſtantur *Frider. Schenck, Baro lap. 1. quæ dicatur Dux, Geil. de Areſt. c. 6, n. 16. Schrad. de Feud. part.* 10. *ſect.* 1, *n.* 22. *Joachim Gluth. in ſæpe alleg. Syll. rer. quotid.* ubi multis probat, imprimis ea eo fundamento, quod non tantum comites, ſed & Barones ad comitia vocentur, & hi cum illis conjungantur, ſuaque ſuffragia ſimul habeant, & iſti duo Comites tam Barones, quam comites repræſentent, & tam illorum, quam horum nomine ſuffragium habeant, [illegible] quoque comitijs illorum nomina conjunctim cum horum Receſſibus Imperij catalogo ſtatuum his adjuncto ſubjiciantur: Reichs Abſchiedt zu Außpurgk 1500. ibi Graffen & [illegible] Eberhardt Herr zu Königſtein/ Cammergerichts Ordnung zu Coſtnitz anno 1507. *N*ocantur quidam Semperfrey/ ut Illuſtres Lymburgici S. Rom. Imp. [illegible] hæreditarij, Domini mei Clementiſſimi: quia à tempore antiquiſſimo in dignitate illa ingenui conſtituti

&

Digitized by Google

& inter quartos Barones Imperij κατ' ἐξοχὴν ſic appellatos, ante 300 annos numerati fuerunt, ad augendum Imperij ſplendorem & Majeſtatem. *Onuph. de Comit. Imp. ib. final.* Quidam vocantur ſimpliciter Herren/ ut Barones a ... quidam Edele Herren ut Comites Mansfeldi, vnd Edele Herren zu Lyp. etc. Quidam communiori nomine Freyherren: qui tamen omnes dignitate, ratione Baronatus ſunt pares. Reichs Abſchiedt zu Außpurgk anno 1548. & *Ordinat. Camer. part. 1. tit. 1.*

XLIX.

Et hæc de Membro Imperij ſecundo; ad quod quidam etiam referunt *nobiles imperij immediate ſubjectos*, Die freye Ritter/ welche ohne Mittel der Käyſerlichen Majeſtät vnd dem Reich vnterworffen/ Reichsabſchiedt zu Außpurg anno 1500, anno 1555, §. Wie man mit der freyen Ritterſchafft/ anno 1557. §. wollen/ Et ſunt Equites Franconiæ die freye Ritterſchafft oder Adel in Francken/ qui in ſex dividuntur loca. 1. Odenwaldt/ 2. Steigerwaldt/ 3. Gebirge. 4. Altmühl/ 5. Spar/ 6. Rohr vnd Weide. Equites Sueviæ, der Adell in Schwaben/ qui in quinque loca diſpertiuntur, 1. Hegöw/ Bodenſeö vnd Algöw. 2. An der Tonaw/ 3. Am Kocher vnd Gerhen/ 4. Am Schwartzwalt/ 5. Im Kraichgöw; Equites denique Rhenani, der Adell am Rein: Sed cum hi in matricula Imperij non inveniantur, nec ſeßionem nec jus ſuffragij in comitijs hodiernis temporibus (quod olim ſecus fuit. *A. B. tit. 1. ſtatuumq; Reformat. Francofurt. anno 1442. in princ.*) habeant, non facile illis aſſentiendum putamus. *Buxtorff in diſſert. ad A. B. th. 5. Joach. Gluth. in di. Sylloz. rer. quotid. th. 16.*

th.26.lit.K. Prærogativa tamen & privilegijs ſingularibus præ alijs nobilibus gaudent, inter quæ non ultimum eſt privilegium Auſtregarum Cammergerichts Ordnung *part.2.tit.3.4.& 5.* quo etiam civitates imperiales tanquam eo carentes ſuperant: gaudent quoque beneficio Conſtitutionis de pace Religionis & alijs quamplurimis, *Joach. [illegible] d. l.*

L.

Tertium denique *& ultimum Imperij membrum* conſtituunt *Civitates Imperiales liberæ*, quæ Imperatori directè parent, nec alium imperij ſtatum ſuperiorem agnoſcunt, jus ſeſſuræ ſuffragiorumque in Comitijs habent, *Conſtit. Frider. de anno 1441. in princ. Receß. Imperij Noremberg. de anno 1523.* & clauſula illa perpetuo decretis imperij annexa, Wir der Chur vnnd Fürſten/ Prælaten/ Graffen/ Herren vnd der H. Reichs Städten Botſchafften/ Gewalthaber vnd Geſandten &c. & formula illa, ſub qua ad comitia vocantur. Mit vnd neben allen andern Ständen helffen handeln/ rathſchlagen vnd ſchlieſſen. *Baſtorff. in diſſ. de var. Univerſ. formi bus th.18* Olim quidem inter Freyſtädt vnd Reichsſtädt diſtinguebant, & illas dicebant, quæ ab ordinaria poteſtate exemptæ juris imperialis eſſe cœperant: Has verò, quæ in perpetua libertate manſerant, *Munſter. lib.3. Coſ.18.* Verùm hodie ſive ab initio liberæ relictæ, vel poſtea immunitate donatæ ſint ad immediatam ſubjectionem nihil intereſt, ſed omnes pari jure cenſentur, communique appellatione, die Freye vnd Reichsſtädte appellantur: In comitijs in duo latera & ſubſellia diſtinguuntur, Rhenanum videlicet & Suevicum, die Reiniſche vnd Schwäbiſche Banck.

L l. Præ-

LI.

Prædicti ſtatus omnes ſive membra olim in ſex diſtribuci erant circulos, 1. Francicum, 2. Bavaricum 3. Suevicum, 4. Rhenanum, 5. Weſtphalicum, 6 Saxonicum, Reichs Abſchied zu Augſpurgk anno 1500; poſtea tamen neceſſitate publica urgente decreto Colonienſi anno 1512. §. Und ob wol / diviſo Romano & Saxonico, 4. illis additi fuerunt; Auſtriacus, Burgundicus, Electorius Rhenanus, & ſuperior Saxonicus; Quos autem & quot Imperij ſtatus circulus quilibet comprehendat vide *Munſter in Coſm. cap. 25. §. 270.*

Pedem hic ſiſtere, & diſſertationem noſtram de ſummo Imperij Romano Germanici ſtatu, ne in nimium excreſcat, abrumpere cogimur, diximus quæ rationi & analogiæ Juris, conſtitutionum Imperialium & Hiſtoriarum conſentanea (ſine ullius præjudicio) nobis videbantur; Sin minus apté, excuſabit nos graviſſimæ materiæ difficultas, quam nullum hactenus uti decuit, aperuiſſe, *Bodinus* quæritur. Interim unde incepimus cum Deo finimus, ſupplices orantes, ut divina ſua clementia regnum hoc noſtrum Romanum Germanicum domeſticis & exteris armis obrutum liberare priſtinæque Tranquillitatis ſtatum, in propriæ laudis & honoris maiusque Eccleſiæ emolumentum reducere velit.

E *Præſtan-*

Non ſtabile *Imperium* eſt, quod non concordia firmat,
Nec diviſa diu regna manere queunt.
Propoſitum laudo, ſic iuſta, præmia mundus
Solvere ſi non vult, ſolverat *ipſe Deus*.

T. A. F.

Depr.

M. Michael Cörberus,
Urſershemio-Fr.

Digitized by Google